

Filium Dei a sæculo et in sæcula. Præterea secundum A ejus adventum confiteri e doctrina sacri baptismatis didicimus. Amen.

SUPERIORIS EPISTOLÆ NUM. 2, VERBA EX INTERPRETATIONE ANTIQUA CONCILII EPHESINI APUD BALUZIUM NOV. COLL. CONCIL., T. 1, P. 467.

Julii sanctissimi episcopi Romæ de epistola ad Prosdocium.

Prædicatur autem, ad plenitudinem fidei, et incarnatus de virgine Maria Dei Filius, et inhabitasse in hominibus, non in homine operatus; hoc enim in Prophetis et apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii. Unus quidem proprie filius assumens hominem, alter autem mortalis assumptus a Deo; sed unus unigenitus in cælo, unigenitus in terra Deus.

EADEN VERBA EX INTERPRETATIONE MARII MERCATORIS APUD EUMDEM BALUZIUM, IBID. PAG. 613.

Julii sanctissimi episcopi Romæ epistola ad Prosdocium.

Prædicatur autem ad consummationem fidei et incarnatus ex virgine Maria Dei filius: qui habitavit in hominibus, non in homine operatus; hoc enim de Prophetis est et Apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii, unus quidem naturalis filius qui assumpsit hominem, alter vero homo mortalis assumptus a Deo; sed unus unigenitus in cælo, unigenitus in terra Deus.

EADEN VERBA EX FACUNDO, LIB. 1, CAP. 5, PAG. 40.

Julii sanctissimi episcopi Romani ex epistola ad Prosdocium.

Prædicatur vero ad supplementum fidei et incarnatus ex Maria virgine filius, et habitans in hominibus, non in homine operatus; hoc enim in Prophetis fuerat et Apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii, unus quidem proprius filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo; sed unus unigenitus in cælo, unigenitus Deus in terra.

CENSURA FRAGMENTI SEQUENTIS.

I. Hoc fragmentum nobis asservavit Ephraemius Antiochenus apud Photium, cod. 229, ubi absona prorsus habetur ejus interpretatio latina. Idem in vulgato Leontii libro primo contra Nestorium et Eutychem ita laudatur: S. Julii episcopi Romani. Hanc auctoritatem Cyrillus produxit in synodo Ephesina. Nusquam tamen in toto Ephesino concilio comparet. Neque illud ibi Facundus vidit: nam licet Acephali, Leontio ipso,

lib. de Sectis act. 8, teste, pseudepistolam Julii ad Dionysium synodo Ephesinae insertam asserant; atque, uti Facundus, lib. 1, c. 5, tradit, in assertionem vanissimi sui erroris dicant Julium Romanum nescio ubi rescripsisse quod una sit Christi natura; eos inde mendacii convincit idem Facundus, quod in eadem sancta synodo Ephesina hoc solum ipsius Julii contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola ad Prosdocium, prædicatur. Quo testimonio descripto addit: Non aliud præter hanc ad Prosdocium epistolam ex dictis B. Julii in illa synodo prolaturum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliquid amplius. Hinc suspicio nobis non deest, Leontii librum contra Nestorium et Eutychem non ejusdem esse, cujus sunt libri de sectis et contra fraudes Apollinaristarum. Is sane accuratior erat, quam ut auctoritatem, de qua nullus in Ephesina synodo sermo est, ibi prolaturum esse scriberet, maxime cum libro de sectis, act. 8, Julii nomine solam in hoc concilio citatam esse memoret epistolam ad Prosdocium. Idem quoque oculatior erat et discernendis Apollinaristarum scriptis assuetior, quam ut testimonium infesti duarum Christi naturarum hostis, qui carnis Verbo unitæ consubstantialitatem cum Deo data opera propugnat, pro indubitata orthodoxi papæ auctoritate poneret, adeo ut illud cum aliis prolaturus, hoc præloqui non dubitaret: Non produximus auctoritatem ambiguum, aut quæ dupliciter accipi possit, nec ignobiles Patres testes citavimus; sed potius clarissimos et qui fuerunt splendidissima orbis lumina ad dicendum testimonium vocavimus, produximusque testimonia manifestissima et minime dubia. Sed de sinceritate tituli, quo liber contra Nestorium et Eutychem Leontio adscribitur, hanc dubitandi causam proposuisse contenti, eam aliis penitus excutiendam permittimus. Interim opus illud, ex quo subnexum fragmentum excerptum est, vel ex titulo ei indito nobis constat fuisse putidi alicujus Apollinaris discipuli (quales erant Polemius et Timotheus), qui carnem Christi post unionem Deo consubstantialitatem esse contendebat; quem errorem Valentinus alique etiam Apollinario addicti assecræ distabantur. Ephraemius quidem Antiochenus ex hoc fragmento perspicuum esse putat, quomodo S. Julius duas naturas fateatur; indeque compertum haberi debere censet eundem papam in superiori epistola ad Dionysium unam naturam pro hypostasi accepisse. At utrobique, nostro judicio, eadem hæresis se prodit, quæ et unam in Christo naturam post unionem commiscitur, et eos mendacii arguit, qui duas credunt.

FRAGMENTA SCRIPTORUM JULII

S. JULII EPISCOPI ROMANI IN SERMONE DE HOMOUSIO.

Unde necesse est et corporeum de toto et divinum de toto dici. Et qui non potest in unitis differentibus cognoscere quid proprium utriusque sit, in absonas

dum increatam cælestemque Christi carnem, aliquando deitati aiunt esse consubstantialitatem, ac multa alia criminiscentur absurda, quorum pudore sententiam vel mutare, vel vocibus specie catholicis obtegere sæpe coacti sunt. Catholicus autem personam Christi naturamque distinguens, dum non alium filium homi-

ίου του επισκόπου Ρώμης ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ὁμοουσίου.

Ὅθεν ἐξ ἀνάγκης καὶ τὸ σωματικὸν καθ' ἑαυτὸν, καὶ τὸ θεϊκὸν καθ' ἑαυτὸν λέγεσθαι. καὶ ὃ μὴ δύναμενος ἐν τοῖς ἡνωμένοις διαφόροις εἶδέναι τὸ ἴδιον ἑκατέρου, ἐν ἀντιώμασιν ἀσυμ-

nis, alium Filium Dei, sic credit, ut aliam Verbi, aliam carnis sentiat naturam, recte affirmat filium hominis, etiam cum in terra est, esse in cælo, ac negat naturam carnis aut cælestem, aut increatam, aut Patri consubstantialent, sicut et negat naturam Verbi tristitia, dolore ac morte affectam.

φύσει περιπεσείται. ὁ δὲ καὶ τὰ ἴδια γινώσκων, καὶ τὴν ἕνωσιν φυλάττων, οὔτε τὰς φύσεις ψεύδεται, οὔτε τὴν ἕνωσιν ἀγροῖσιν.

FRAGMENTUM II (1).

Julius Romæ patriarcha in epistola V, ita scribit de unione divinitatis Christi cum ejus humanitate.

Cum ipse Deus appellatur, nemo humanitatem ejus, quæ cum divinitate conjuncta est, inficietur: cum vero humanitatis suæ nomine appellatur ob corpus quod assumpsit, nemo dignitatem ac dominium ejus vocet in dubium. Post unionem nemo illum (2) dividat tanquam duarum naturarum principium (*cod. Reg. dividat in duas naturas*). Ut enim homo constans ex duabus perfectis partibus natura distinctis (*cod. Reg. ex duabus rebus singulis quæ natura diversæ sunt*), anima (3) scilicet et corpore, post unionem tamen est unius naturæ, et uno nomine designatur. Cum vocatur corporeus, non ab eo anima excluditur: ut cum vocatur animatus, seu spiritalis, non ab eo corpus excluditur.

FRAGMENTUM III (4).

Sanctus Julius.

Non invenitur in sacris litteris distinctionem fieri inter Verbum Filium et corpus quod Christus assumpsit: sed ipse est una natura, una persona, suppositum unum, totus Deus (5) et totus homo, et ipse est qui operatur.

(1) Fragmentum illud, quod Latinitate donatum Eusebius Renaudotius pro summo suo ad litteras juvenandas studio nobiscum communicavit, erutum est cum ex tractatu Arabico Isa filii Zaræ apologetico sententiæ Jacobitarum seu Monophysitarum circa incarnati Verbi mysterium, tum ex codice Regio 432, item Arabico, in quo varia patrum testimonia in ejusdem opinionis gratiam proferuntur. Isa vero anno Christi 1007, obiit. Nec mirum est epistolam, unde excerptum est, vocari quintam; cum Leontius offendisse se dicat septem Julio papæ ab Apollinarii asseclis adscriptas.

(2) In Christo non dividendum, sed distinguendum quod unitum est. Unitis enim naturis remanent proprietates suæ, quibus distinguuntur. Sed quia naturæ illæ in unam conveniunt Verbi personam, ex illa unitione conficitur, ut non una Christi natura, sed una persona sit, cui singularum naturarum proprietates trihuuntur.

(3) Anima et corpus censi nequeunt ut duæ naturæ perfectæ et integræ, si considerentur sic a Deo institutæ et aptatæ, ut simul conjungantur. Quod de Verbo dici nequit et homine assumpto. Deinde ex anima et corpore aliquid perfectius existit, quam ex corpore solo aut anima sola: Verbo autem hominem assumpti nihil perfectionis accessit. Neque vero Catholici utuntur hominis similitudine, ut naturas in Christo duas negent, sed ut personæ explicent unitatem.

(4) Istud fragmentum in solo codice Regio 432, separatim ab antecedente laudatum reperitur.

(5) Recte a sanctis patribus Christus *totus Deus et totus homo* prædicatur, uti superius pag. 63, not. 1, ex verbis Leonis epist. 115, ad Palæstinos num. 6. Augustini Serm. 293, num. 7, necnon Hilarii lib. x, de Trin. n. 28. Sed quod in hoc fragmento præmittitur, *una natura*, hic sub verbis catholicis latere indicat doctrinam Apollinarianam, quæ ipsam carnem in Christo post unitionem Deum evasisse censet.

repugnantis incidet. Qui vero propria cognoscit, et unionem servat, neque naturas mentietur, nec unionem ignorabit.

OBSERVATIO.

Liturgia sacra Julii nomine a Jacobitis recepta.

Ex his fragmentis aliisque epistolæ ad Dionysium, quæ in Jacobitarum Doctorum scriptis sæpe laudantur, liquet quanta veneratione exciperetur ab hac secta, quidquid Julii papæ nomen præ se ferret. Ad eos autem ab Apollinario ejusque asseclis manasse videtur hæc veneratio. Cum enim Apollinarius sese acrem Arianorum hostem, eaque in re laudabilem præberet; hæud dubie pergrata ei fuit Julii epistola, in qua tam sapienter impugnantur iidem hæretici, tamque invictè confutantur. At cujus in Ariana doctrina impugnanda consensu gaudebat, eundem in ea propugnanda, quam excogitavit, secum ostendere nequirit consentientem, nisi ejus nomine propria ipsius scripta inscriberentur. Hoc saltem a discipulis ejus præstitum esse superius in epistolam ad Dionysium probavimus. Tanti nominis, ut et cæterorum Patrum, quibus Apollinariæ similia scripta supposuerunt, auctoritate seductus Eutyches, ab unius naturæ defensione dimoveri non potuit. Iisdem quoque testimoniis decepti Jacobitæ, seu Monophysitæ, quamvis in cæteris detestentur Eutychen, in unius naturæ tenendo dogmate non minus perveraces extiterunt. Horum porro erga Julium papam observantia eo etiam manifesta est, quod ipsius quoque nomine insignitam habeant sacram liturgiam, cujus editionem parat Euseb. Renaudotius, pluribus hujusmodi liturgiis jam in lucem emissis et illustratis de Ecclesia bene meritis.

CENSURA

EPISTOLARUM CYRILLI AD JULIUM ET JULII AD CYRILLUM DE DIE NATALI DOMINI.

I. Francisus Combefisius Joannis Nicæni, qui circa sæculi x exitum florebat, epistolam de Nativitate Domini edidit ex codice Regio olim 696, nunc 2428, pag. 149, descriptam, in qua Cyrilli ad Julium epistola sic laudatur: « Scripsit aliquando Cyrillus, non is qui epistolam ad Constantinum (*leg. Constantium*), sed qui post ipsum in ejus sede successit, ad Julium Romanum episcopum. » Tum is Joannes ex eadem epistola probare volens, quomodo ut Natale Domini 25 decembris die celebraretur, constitutum fuerit, istud ex ea profert.

Quamquam hujus doctrinæ sectatores, quem totum Deum ultro prædicant, pariter totum hominem dicere reformidant atque refugiunt. Hoc enim ignorant ac respuunt discrimen, quod Ferrandus diac. epist. ad Sever. ut omnis vitetur ambiguitas, inter totus ac totum posuit, ubi dixit: *Totus Christus apud inferos fuit secundum animam rationalem, sed non totum*, etc. Ab his autem verbis, *totus Deus et totus homo*, sublata particula et, quæ sæpe apud Arabes nihil adjicere dicitur sensui verborum quibus inseritur, mera restabit doctrina Timothei, Polemii aliorumque Apollinarianarum, qui totum hominem post unitionem totum Deum evasisse sentiunt; adeo ut non sint amplius duæ naturæ, sed una divina.